



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De sacra contra Nordmannos militia Godefridi Ducis Lotharingiae. Cap.  
XLV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

Clemens, Romanę Ecclesię præfidet, & ab eō Rex Henricus in Imperatorem benedicitur.

Ab hoc Clemente Imperator renunciatus, exercitum duxit in Italiam vltiorem: vbi inter Nordmannos & veterum Longobardorum reliquias bella erant. Quibus compositis, præfidiisque dispositis, quæ vtrosque in officio continerent, & Nordmannos, si pergerent tumultuari, compescerent: exercitum in Germaniam reduxit.

Postea Leoni nono Pontifici ex Germania in Italiam reuertenti magnum exercitum addit, Duce Godefrido Lotharigo: qui augescentem Nordmannorum potentiam retunderet.

Ipse quoque postea in Italiam reuersus est, rebus turbatis opem allaturus, vbi annum integrum commoratus, rebusque compositis, exercitum contra Sclauos Lusatios instruxit, qui ad interuentionem cæsus est. Quam iacturam cum grauitè tulisset, non ita multo post obiit anno ∞ . LVI.

*De sacra contra Nordmannos militia GODEFRIDI Ducis Lotharingie.*

C A P. XLV.

*I. Brabantie Dux ex beneficio Imperatoris.*

**E**X beneficio Henrici Nigri, Gotheloni in inferioris Lotharingie Ducatu successit Godefridus filius. Scribit enim Sigbertus ad annum c. XLIII. Gothelo Dux obiit. Cuius filius Godefridus dum ei Ducatus

catus

catus Mosellanorum denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat. Videtur nihilominus Ducatum hunc usque ad mortem seruasse. Subdit enim post multa Sigebertus, Anno CIO. LXX. moritur Dux Godefridus, & succedit ei filius eius, Godefridus Gibbosus.

De viri huius rebellione ita legitur apud Lambertum Scafnaburgensem, suite temporis gesta describentem. Anno CIO. XLIV. Gothelo Dux Lotharingorum obiit, cuius filius Godefridus, nobilissimæ indolis iuuenis, atque in re militari admodum exercitatus, quia Ducatum Patris non potuit obtinere, arma contra Remp. corripuit; Albertum Ducem, quem Rex patri eius subiugauerat, prælio victum occidit; cædes hominum & depopulationes agrorum quàm maximas fecit; loca omnia usque ad Rhenum, præter ea quæ vel murorum præsidio hostilem impetum subterfugiebant, vel sese data pecunia redemerant, in cinerem redegit. Anno CIO. XLV. à Rege in deditioem acceptus in Gibekenstein missus est custodiendus, sicque regnum breui tempore quietum & pacatum mansit. Anno sequenti Dux Godefridus à custodia absolutus, dum videret nec intercessionem Principum, nec deditioem quam sponte subierat, sibi aliquid profuisse, rei indignitate & inopiæ familiaris tædio permotus, bellum rursus de integro sumpsit. Inter alias quas  
Reip.

Reip. intulit calamitates, Neomagium, Domum regiam miri & incomparabilis operis, incendit, ciuitatem Verdunensem cepit, maiorem in ea ecclesiam concremauit. Sed post modicum facti in tantum eum poenituit, vt publicè se verberari faceret, & capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret, sumtus ad reedificandam ecclesiam daret, & in opere cæmentario per seipsum plerumque vilis mancipij ministerio functus deseruiret. Anno C I O. XLVII. Rex exercitum nauigio per Rhenum duxit in Frisiam contra Godefridum, eiusque adiutorem Deodericum, ibique duas vrbes munitissimas cepit, Rinesburg & Fleerdingen. Anno C I O. L. Leo Papa, ad componendum statum Ecclesiarum, & pacem Gallijs reddendam, Roma egressus, Moguntia Synhodum celebrauit: vbi Dux Godefridus, interuentu Papæ & Principum, gratiam Imperatoris obtinuit.

A quo tempore cum cognato suo S. Leone IX. in Italiam abiens, semper Imperio fidelis permansit, etsi Imperatori vehementer suspectus, quòd in Italia summè diligeretur & honoraretur, ac ibidem in vxorem accepisset Beatricem viduam Bonifacij potentissimi Marchionis Italiae: & his accederet electio fratris in summum Pontificem, qui Stephanus IX. dictus est.

Præstitit verò in Italia Ecclesiae Dei etiam officium sacer Princeps: sic enim scribit citatus

ratus

tatus supra Lambertus: Leo Papa Imperato-  
ri anno CIO. LI. Wormatiæ valesciens, me-  
diocriter compositis & causis Ecclesiasticis &  
regni negotiis, Romam reuersus est, abdu-  
cens secum Godefridum Ducem, & fratrem  
eius Fredericum, qui Gebehardo postmo-  
dum in Apostolica sede successit: item alios  
quam plures tam clericos quam laicos in  
re militari probatissimos. Quorum virtute  
Nordmannis, qui Apuliam occupauerant,  
obuiam ire parabat. Addit apud Beneuen-  
tum quoque per Godefridum deprehensos  
esse hæreticos & suspensos.

*De sacra militia GODEFRIDI Gibbosi, Du-  
cis Lotharingæ, quam gessit in Marchia Lo-  
tharingæ & Marchia Italia.*

C A P. XLVI.

**Q**UAMVIS Henricus IV. Imp. nihil præ-  
clare pro Ecclesia gesserit, sed ob inuesti-  
turam fœdum schisma cōtra Gregorium VII.  
fouerit, in quo etiam Imperio exutus, &  
anathemate innodatus, Leodij obierit; qui  
tamē ex eius beneficio Duces fuerunt Lotha-  
ringiæ, militiam suam Ecclesiæ consecrarunt.

Inter quos primus est Godefridus Gibbo-  
sus, ciuitatis Delphensis in Hollandia condi-  
tor. De quo apud Sigebertum legitur ad an-  
num ∞ .LXX. Gerardus Dux Mosellanorū  
moritur. Moritur etiam Dux Godefridus.  
Gerardo filius eius Deodericus, Godefrido  
succedit

*Hic fuit XI.  
Brabantia  
Dux ex be-  
neficio Imp.*